

## FERDINANDI I. IMP. AUSTR. &amp; REG. HUNG. V. DECRETUM I. ANNI 1836.

## ARTICULI DIAETALES.

*De iis, quae praeter usufructuationem Constitutivi ad beneficia colonorum referuntur.*

## Articulus 6.

§. 8. Praeter praerecensita urbarialia beneficia subditi nec jura venationis, piscationis et aucupii, in quae involantes poena contrabandae plectendi erunt, — porro citra privilegium nec jura nundinarum, fori, telonii et nauli exercere poterunt, — in Comitatibus interim Temes, Torontal et Krasso vigens illa urbarialis provisio, tenore cujus in paludibus, scopo exercendae inevitabiliter necessariae arundinationis uni alterique Communitati tributis, piscandi quoque facultas ejusmodi beneficio provisae Communitati libera est, vigorem porro etiam retinebit; si autem Colonus ex concessione Domini beneficium cujuscunque speciei molendini, aut alterius juris curialis regalis haberet, tunc illud via urbariali, re interea integre servata, penes adaequatam superaedificatorum ac quarumvis meliorationum legali via suscipiendam aestimationem et legitimarum investitionum refusionem dominus recipere potest; taxis molaribus in Comitatibus Posega, Veröcze et Szerem hactenus vigentibus, quae in specie a mola cochlearia in uno — reflexe vero ad alias ordinarias fluviales molas, a singula rota in duobus — a Danubiali demum et Dravana mola in octo, census titulo domino terrestri quotannis pendendis florenis defixa sunt, interea elevari nequeuntibus; si tamen in quopiam loco, aut relate ad quodpiam objectum privilegia, vel contractus adessent, continentis horum standum erit. Praeexistentia nihilominus jura regalia, curialia, vel secus fundum afficientia, si et in quantum ea subditi jure proprio se possidere praetendant et usus huic praetensioni suffragetur, via juris coram competente foro praeeassumenda, poterunt sufferri.

*De praestationibus Subditorum.*

## Articulus 7.

In Comitatibus attamen Temes, Torontal et Krasso, prout et Posega, Veröcze et Szerem filatura locum non habente, in posterioribus tribus Comitibus nec a lino et canabibus, neque ab aliis, ad sic dictam minorem decimam spectantibus vegetabilibus, si haec in hortis aut terris, urbariali praestationi secus subjectis, procreata fuerant, prout nec a prunis decima desumi potest.

§. 3. In Comitatibus attamen Posega, Veröcze et Szerem a vineis, statum sessionalem haud ingressis, Domino terrestri pintae competunt, ea quidem ratione, ut a singula urna pocreati musti, unica tantum pinta, sive duae mediae mensurae Poseniensis desumi valeant.